



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Mutatio Nominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

NVM. 2. Mutatio nominis.

POSTEAQVAM longius decurrit nomen amittit suum, & vocatur *Ister*, vel ab *Istro* Rege ut vult *Berosus*: vel à Regione *Istriâ* supra Thraciam quam præterlabitur, ut vult *Solini interpres*, vel denique Bessorum lingua sic appellatur *Ister*, qui antea *Danubius*: communiter à Poëtis *Binominis* dicitur.

Sed ubi hæc variet nomina, non est leuis difficultas, qua de re video antiquos in 4. sententias esse distractos.

1. est Strabonis, qui catarractas Danubij facere hanc nominum variationem asserit: sed lapsus est cùm eas inter Dacos & Getas collocauit, cùm Budam vsque in *Danubio* nullæ catarractæ sint, quod falso credidit Niger. Itaque recurrendum Straboni ad eas quæ infra Lintium *Austriacum* videntur quæ à Suidâ descriptæ sunt in voce, *Catarracte*.

2. opinio est Ptolemæi qui ab urbe *Axio*, seu *Axiopoli* ad *Euxinum*, *Istrum* vocari ait.

3. Plinij dici *Istrum* ubi primùm *Illyricum* attigit: sed ubi gentium porrò? certè si *Illyricum* sumatur, quatenus non includit Noricum, Plinius cùm Strabone sentit; si *Illyricum* strictè sumatur, Appiano adstipulatur.

4. denique est Appiani, qui *Danubium* credit *Istrum* appellari ubi *Sauum* recepit, certè *Sauus* in eum tanto imperu ruit ad Belgradam, ut cum sorbere videatur.

NVM. 3. Ostia.

Ostia item vario numero à scriptoribus proferuntur.

Prima opinio, ei quinque ostia tribuit: ita Arrianus in *Periplo Euxini*, & lib. 1. & 8. Exp. Alex. Herodo. lib. 4. Ephorus, Eratosthenes apud Strabonem, Claudianus

Thracia quinque vadis Istrum vocat.

Auienus idem quoque sentit.

Secunda opinio, sex; ita Plinius, Tacitus, Ptolemaeus.

Tertia opinio denique, septem: sic Strabo, Amm. Marcel. Solinus, Mela, Ouid. qui ideo eum septemplicem dixit.

Nomina autem tantum sex illa referuntur, à variis auctoribus, progrediendo à meridie in Septentrionem.

Nn. iij